



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXI. Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi pulcherrimus fuit in cruce exaltati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

hoc execrandum commisisset facinus, ultrò sese in judicio sisteret, indulgentiam enim & veniam ab Imperatoris benignitate reo certò sperrandam, secùs sceleris auctorem extremis perimendum suppliciis. Audiit hoc fortè uxor præfati Judæi, quæ ex mariti sui timore & vestibus recenti sanguine tinctis, non imprudenter secum rationabatur, virum suum hujus enormis sacrilegii esse auctorem; igitur illum secretò ad Magistratum desert, à quo mox per submissos apparitores captus, & ad Imperatorem ductus est, ubi multis profusis lacrymis ultrò est confessus, se tanti esse reum flagiti, veniam tamen sperare & gratiam, quia cum tota familia sacrum baptisma & Christianam religionem dispergeret suscipere, quod & factum est. Itaque veneranda illa Christi crucifixi imago magno populi cum concursu & devotione in Ecclesiam S. Sophiæ illata, & puteus deaurato coopertorio tectus & multo argento exornatus est. O Christiani omnes, venite ad hunc gratiarum fontem, Christum JESUM crucifixum, & baurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Isa. 12. 3.

## CONSIDERATIO XXI.

Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi JESU pulcherrimus in cruce exaltati.

*Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Joan. 3. 14.*

I.

**I**ntra alias figuræ, quas sacra Scriptura nobis de crucifixo Domino ac Salvatore nostro Christo JESU exhibit, non minima est illa, quam Moyses legifer & dux populi Israëlitici in solitudine quondam populo electo Dei proposuit. Acceperat hic populus plurima à DEO beneficia, quibus tamen non obstantibus sese ingratisimum erga summum hunc suum benefactorem exhibuit, & in publica murmura contra DEUM & Moysen erupit, quod ex Ægypto in

K 3

Num. 21. 5.

in tam vastum & aridum desertum fuisset eductus, ubi solum levissimo manna (prout dicebat) sustentaretur: *Anima nostra jam nauusat super cibo isto levissimo;* Quod murmur DEUS T. O. M. aded indignè tulit, ut absque cunctatione in populum illum ingratissimum ignitos immiserit serpentes, qui suis venentis morsibus ingentem in populo causarunt stragem; igitur pœnitentiâ ducti veniebant ad Moysen: *Peccavimus, inquiebant, quia locuti sumus contra Dominum & te, ora, ut tollat à nobis serpentes;* Oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: *Fac serpentem aeneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspicerit eum, vivet.*

Quid agit Mayses? Mox ingentem furcam, seu perticam adinstar litteræ T. in loco sublimi jubet erigi, & in ea vastissimæ molis serpentem ex ære candente conflatum, qui serpens in universis Israëlitarum castris, quæ juxta mentem Sacrorum Interpretum facile ad sex milliaria Italica se extendebant, circumquaque à vulneratis & percussis Israëlitis videri poterat, ex cuius unico aspectu omnes infirmi per ingens prodigium à plaga & lethifera contagione fuerunt sanati: *Quem cum percussi aspicerent, sanabantur;* Proinde his serpens, qui solum formam serpentis & non venenum habuit, recte pro lemmate à nobis tulit: *Pharmacum: non venenum.*

Joan. 3. 14.

2. Serpens hic æneus quid aliud designavit, quam Christum JESUM & hunc crucifixum? Qui quidem formam serpentis, seu formam peccatoris assumpsit, sed venenum, seu peccatum non habuit: eius unico aspectu miseri mortales per fidem & contritionem à lethali scelerum morsu sanantur. Audi ipsum Dominum tuum, dum pro sua benignitate ipse dignatus est hanc explicare figuram; *Sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*

S. Ambros.  
serm. 6. in  
Psal. 118.  
& S. Bernh.  
ac S. Aug. in  
hunc loc.

O bone JESU! & amor crucifice! Si quondam tui umbra in hoc typico serpente potuit efficere, ut venenatis morsibus percussitam mirabilem in modum restituerentur sanitati & vitae, quæ, obsecro non speremus modò sub umbra alarum tuarum, ubi non in umbra & figura, sed in ipsa veritate in cruce pro omnium salute pendes exaltatus? Bonus, ait S. Ambrosius, est serpens Christus, qui de ore suo remedia non venena fundebat; Et S. Bernhardus: *Non te pigeat videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem:* Et S. Augustinus Fratres, inquit, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur; quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto non peribant: *Sic qui intuentur fidem Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.*

3. Ad

3. Ad exempla probata transeamus. Beatus Peregrinus ex Ordine Servorum B. V. vir integritate vitæ celebratissimus, cuius sanctitatem ac patientiam ut DEUS magis probaret, putridum illi ac insanabile ulcus in pede submisit. Accesit & periculosa quædam inflammatio, quæ medicis ansam præbuit, ut decernerent, ac unanimiter concluderent, crus hoc morbidum ad conservandam hominis vitam necessariò esse amputandum. Imminebat jam dies ad hanc lanienam destinatus, ubi interim B. Peregrinus fide ac fiduciâ in Christum IESUM crucifixum plenus, de strato suo consurgens, quantum præ debilitate virium poterat, ad imaginem quandam Crucifixi Servatoris in capitulo publicæ Religiosorum venerationi expositam adreptavit, ad cujus pedes se humiliter abjiciens, divinam bonitatem vehementius exorabat, quatenus sibi sanitatem, membrorumque usum (si tamen ad divinam ejus cederet gloriam) benignissime dignaretur concedere. Obdormiscit interim B. Peregrinus infirmus, ubi in visione quâdam Christum Dominum observat clavos ferreos de manibus ac pedibus sui solventem, & de cruce ad se descendenter, ac insanabile crus suum leniter tangentem, ex cujus sacro attactu crus sine mora mirabiliter sanatum est. Quis latior hoc B. Peregrino? Expergitur, crus ex integro sanatum sentit, & divinae Majestati pro accepto tam insigni beneficio debitas persolvit grates. Cæterum hæc thaumaturga imago Crucifixi apud Forolivienses, ubi hæc contigerunt, adhuc magnam habet venerationem, dum adhuc hodie plurimis coruscat beneficiis.

4. Vis recentiora? Joannes Wernerus civis Augustanus per incantationes malevolorum diù in corpore suo crudele martyrium tulit. Accidit, ut negotiorum causâ in Marchionatum Anspacensem proficeretur, ubi præ nimio pedum dolore ne quidem unum gressum facere poterat, unde in hospitium in pago Offenbau deductus est, ubi de nocte lectulo doloris affixus, cum frustrâ remedia humana applicarentur, ad DEUM ex toto corde confugit, votumque vovit, si cooperante gratiâ divinâ ab hoc pessimo maleficio & intolerabili cruciatu liberaretur, se in celebri peregrinatione SS. & thaumaturgi Crucifixi in Biberbach Augustanæ diœceseos quinque candelas in honorem SS. Vulnerum Christi cum uno Sacro & certâ pecuniâ oblataturum.

Ecce nunc rem perpetuâ memoriâ dignam. Vix animo serio, exact's Biber-  
contrito ac fide in crucifixum JESUM pleno ægrotus noster hoc vo- b' sensibus &  
tum emiserat, in illo momento pes illius sinister, ubi dolor erat inten- Reverendissi-  
fissimus, suâ sponte usque ad ipsos ferè lumbos aperitur, ex quo (mi- nio officio  
rabile dictu) exierunt octo clavi ferrei, quibus alias equorum calcis confirmatis.  
muniri anno 1685.

muniri solent, septem acus oblongæ & acutissimæ, nonnulla ossa confracta, multa vitrorum fragmenta, promiscui ovorum cortices, ligneæ fusorum acumina, lapilli multi, quædam spongia, & demum integer nigrorum capillorum fasciculus, quæ omnia in unum collecta in ignem projecta sunt; ipse verò Wernerus ope divinâ ab hoc gravissimo maleficio liberatus, & intra 24. horarum spatiū plenè sanitati restitutus, rectâ voti solvendi causâ Biberbachium ad SS. Crucifixum venit, ubi factâ exomologesi & sumptâ SS. Synaxi, non tantum cum testibus sub juramento hoc insigne beneficium contestatus est, sed & binam attestationem tum amicorum, tum Acatholicon, qui omnia hæc tanquam testes oculati cum stupore viderant, pro memoria accepti beneficii hic in Ecclesia Biberbacensi reliquit, Anno Christi 1685. die 26. Sept. Vides ex his dictis, optime Lector, quod verissimum sit illud Isaiae: *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat &c.* præsertim si per JESUM Christum & hunc crucifixum Patrem cœlestem pro aliquo beneficio aut gratiâ rogamus.

Ifa. 59. 1.

**Ecli. 29. 2e.** jussorem suum exhibeat: *Gratiam fidejussoris ne obliscaris,* rationem addit: *Dedit enim pro te animam suam.* Talis fuit Ruben spondens patri suo Jacob pro Beniamin fratre suo juniore: *Ego suscipio puerum: de manu mea require illum.* *Nisi reduxero: & reddidero eum tibi, ero peccati reus in omnem tempore.* Talis fidejussor apud Patrem pro nobis factus est Christus, spondens pro nobis, & quia non eramus solvendo, ipse nostra debita immenso sanguinis sui pretio in cruce exsolvit. Audi historiam memorabilem.

**Gen. 43. 9.** In Povegia, quæ insula est non longè ab urbe Venetiarum distans, usque ad hæc tempora videtur, & à fideli populo piâ frequentatione honoratur aliqua Christi crucifixi effigies, hoc prodigo celebris. Quidam Venetus coram hac sacra icona suo compatrio sine ulla testibus aut litteris magnam pecuniarum summam tradidit mutuam. Cum tandem tempus restituendi advenisset negavit is, qui dictam summam acceperat, se aliquando à suo amico hos nummos accepisse; ille verò, qui memoratam nummorum summam coram crucifixo Fidejussore mutuam dederat, probationis suffragio destitutus adversarium suum cum Judice ad præfatum Crucifixi simulacrum, coram quo pactum inierant, provocat, rogans impensè DEUM, ut veritatem vel unico crucifixi Filii sui nutu dignaretur aperire. Et ecce rem admiratione dignam! mox dicta imago Crucifixi in præsentia Judicis & aliorum circumstantium capite annuit, & in signum veri testimonii

**Felix Aful-**  
**phus in His-**  
**mag. lib. 2.**  
**cap. 24.**

caput

caput suum profundè ad pectus demisit; unde ad usque hæc tempora Christus in ligno pendens collo demisso cernitur, per quem DEUS multa misericordia mortalibus etiamnum hodie exhibere solet beneficia. Finio cum S. Bernardo agente de crucifixo Domino: *Memoriam*, ait, <sup>S. Bernh. serm.</sup> *abundantia suæ virtutis horum eructabo, quæcum diu vixerim: in æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum.* <sup>de pass.</sup>

## CONSIDERATIO XXII.

Funiculus coccineus Rahab, typus Crucifixi JESU, nos à perditione servantis.

Appendit funiculum coccineum in fenestra. *Josue 2. 21.*

I.

**I**n signem sibi laudem quondam commeruit nota illa cauponaria Rahab Jeruchuntina, dum duos viros exploratores à Josue summo belli duce ad explorandum Jericho submissos, non tam hospitio exceptit, quam & benignè fovit, ac in domo sua, muro & urbis portæ vicina, ne in hostium manus devenirent, sollicitè occultavit, ac tandem in fune per mænia civitatis demisit. Ob quam causam dicti exploratores, ut se tanto beneficio gratos exhiberent, & officium officio redderent, huic Rahab persuaserunt, ut ante communem urbis & incolarum interitum eundem funem coccineum fenestræ suæ appenderet, ex quo signo domum illius inter reliquas omnes unicam esse conservandam dignoscerent: *Et illa respondit; sicut locuti estis,* <sup>Josue 2. 21.</sup> *ita fiat, dimitténsque eos, ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra;* cui funiculo coccineo pro lemmate inscribimus: *In coco una salus.*

Per hunc coccineum funiculum, per quem salus domui Rahab in expugnatione Jericho facta est, haud immerito SS. Patres Christum JESUM & hunc crucifixum, ejusque Sacratissimum cruentum, in ara crucis pro salute mundi effusum, subaudiunt. Ita S. Ambrosius: *Vidit,* <sup>S. Ambros.</sup> *hoc meretrix, & quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia lib. 5 de fide fides vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ passionis attollens, coccum in fene-* <sup>cap. 5.</sup> *stra ligavit, ut species cruxis mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret.*

Ginther Linus pro omnibus.

L

Ita